

TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPATUS.

Lacus.

Fluvii.
Mosella.

repletas. Lacus non nisi duos habet, immensæ profunditatis, Vlmensem & Laichersensem, in quo virides & crocei coloris lapides inveniuntur, Smaragdis & Hyacinthis non absimiles. Multis fluviis irrigatur, qui omnes Mosella mixti in Rhenum influunt, unde incolis piscium abundantia. Mosella ex monte Vogeso scaturit, non procul à fontibus Sonæ, juxta pagum Bussan, cursum aspiciatur ad Ortum æstivum, civitatefque *Lestraie, Bemiremont, Essinal, Charmes & Baton* permeat, rectoque meatu episcopalem urbem Thul petit, hinc Metensem & Trevirensis civitatem præteriens prope Confluentem in Rhenum se præcipitat. An hic Obrincus veterum sit varie à variis disputatur, siquidem Ptolemæus eum supra Moguntiam ponit. Aliqui opinantur hanc esse Navam quæ juxta Bingium Rheno miscetur, alii Rhæno præterito dicunt Mœnum esse Veterum Obrincum. Attamen omni dubio remoto, hic fluvius est incolarum Mosella, non obstante Ptolemæi opinione, qui aliorum secutus relationem facile errare potuit: Nava si esset; sequeretur, Ptolemæum Mosellæ omnino oblitum esse, & omisso magno parvum fluvium descripsisse, quod absurdum. Adferuntur & aliæ rationes, quas hic præterimus.

Abbatia hujus provinciæ sunt 4: Comitatus 5, Dominia 10, & præfecturas habet quamplurimas.

Eifelensis regiuncula partim jurisdictionis est *Trevirensis*, partim vero *Lutzelburgensis*. *Richwinus* de hoc tractu sic ad Munsterum scribit: Hic tractus sui natura degener, montibus vallibusq; horridus, frigidus & tempestatibus oppletus, fontibus & rivulis amœnus est. incolæ laboriosi sunt, bonoque ingenio præditi, si exerceantur, verum aratris & gregibus obnoxii. Hæc regiuncula multas albi coloris pecudes lacte abundantes producit, ditior quoque piscium est quam ferarum. Pro se satis frugum fert, nisi quod ubi nimium sylvis inhorrescit, avenæ solum ferax est. In Bortrick loco sesquimillari à Mosella distante salubre & calidum balneum invenitur. Extant in Dominiis *Reila, Cronenberg, & Sleyda*, prope *Hellenthal*, officinæ optimi ferri. quin & hic fornaces conflantur, quæ magno numero in superiorem Germaniam exportantur. In finibus *Manderscheid & Gerarstein*, lactucæ, melones, & cucumeres autumnis colliguntur, quæ copia & bonitate multis Italicis non cedunt.

Urbis Tre-
viris.

Hujus Episcopatus præcipua urbs Trevis, Roma antiquior est mille trecentis annis, & na-

tivitate Christi bis mille, ut refert *Æneas Sylvius*. Frequens apud Tacitum hujus urbis mentio; præsertim in Historiarum libris posterioribus. Subsequente ævo sedes fuit Imperatorum, tanquam specula in propinquos Germanos; degebatque ibi præpositus thesaurorum, cum procuratore *Cynegii*, & præposito *Branbaricariorum*. Erant & ibi officinæ scutis, balistis, aliisque armis fabricandis præstantes. Spectantur hic etiamnum ruinæ Palatii à Constantino Imperatore exstructi, multa; antiquorum monumentorum fragmenta & reliquæ terra effossæ, aut locis abditis depromptæ, clara antiquitatis loci argumenta. Vixit in hac urbe *Athanasius exul*. *Hieronimus* se hic *Hilarii* commentarios descripsisse testatur. *Priscillus hæresiarcha* jussu *Maximi Imperatoris* hic interfectus est. *Valentinianus* itidem à fratre *Gratiano* dictus fuit *Augustus*. & hibernavit. Quicquid fere præstans Romæ, etiam in hac urbe cernebatur, palatium, arces, theatra, campus *Martius*, *Capitolium*, *Circus*. Tandem à Gothis fuit destructa & eversa, quod *Salvianus* impietati civium adscribit. *Simon Richwinus* de hac civitate ita scribit ad Munsterum: Hic locus videtur à Natura ad voluptatem electus, ad quam montes & valles, & ex illis profilientes amœnissimi susurri rivuli, & amnes, non parum conferunt; prata gramine, colles vite, agrii varii generis virescunt semine: pisces, feras, aliasque res ad usum hominum non solummodo alit, verum etiam ad delicias propemodum conservat. Hæc ob frequentiam civium, ædificiorum pulchritudinem, amœnissimum prospectum, agrorum & vinetorum fertilitatem non inter postremas Germaniæ civitates est numeranda: ædes civium venustissimo ordine, usque ad pontem lapideum super *Mosellam* stratum, positæ sunt. E regione aspicit arcem *Erenbretsteiniam* in altissimo monte sitam, non solum civitatis sed totius pene regionis propugnaculum. Supra hanc *Vesalia* & *Bodobriga* fuere imperiales civitates, & ab Imperatore *Henrico septimo*, pro certa pecuniæ summa Archiepiscopo *Trevirensi* oppignorata. Fertur primus Episcopus *Trevirensis* fuisse *Eucharius*, patria *Græcus*, & unus ex *LXXII* Christi discipulis. Ab hoc usque ad *Ludolphum Saxonem* numerantur Episcopi *LXXIII*, qui *Ludolphus Saxo* primus fuit Elector Imperii; à quo usque ad *Lotharium* inclusive *LXVI* Electores, & *CIX* Episcopatus præfuisse dicuntur.